

matrimonium, cum sit sacramentum, non erit in genere relationis, & ita nec in genere conjunctionis.

3. Præterea. Conjunctio est relatio æquiparentiæ sicut æqualitas. Sed non est una numero æqualitatis relatio in utroque extremorum, ut Avicenna dicit. Ergo hæc una conjunctio; & sic si matrimonium est in genere conjunctionis, non erit unum tantum matrimonium inter duos conjuges.

Sed contra. Relatio est secundum quam aliqua ad invicem referuntur. Sed secundum matrimonium aliqua ad invicem referuntur: dicitur enim maritus vir uxoris, & uxor mariti uxor. Ergo matrimonium est in genere relationis, nec est aliud quam conjunctio.

Præterea. Unio duorum ad aliquod unum non fit nisi secundum conjunctionem. Hoc autem fit per matrimonium, ut patet Genes. 11. 24. *Brunt duo in carne una.* Ergo matrimonium est in genere conjunctionis.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod matrimonium incongruè nominetur. Quia denominatio debet fieri à digniori. Sed pater dignior est matre. Ergo magis debet denominari à patre quam à matre conjunctio utriusque.

2. Præterea. Res debet denominari ab eo quod est de essentia sua, quia ratio quam significat nomen, est diffinitio, ut dicitur in IV. Metaph. Sed nuptiæ non sunt de essentia matrimonii. Ergo non debet matrimonium nuptiæ appellari.

3. Præterea. Species non potest proprio nomine nominari ab eo quod est generis. Sed conjunctio est genus ad matrimonium. Ergo non proprie potest conjugium nominari.

Sed contrarium est communis usus loquentium.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod inconvenienter diffiniatur in littera. Quia in mariti diffinitione oportet quod matrimonium ponatur: quia maritus est qui est mulieri matrimonio junctus. Sed ipse ponit matrimonialem conjunctionem in diffinitione matrimonii. Ergo videtur quod sit circulatio in diffinitionibus istis.

2. Præterea. Per matrimonium sicut vir efficitur maritus mulieris, ita mulier uxor viri. Ergo non magis deberet dici conjunctio maritalis quam uxoria.

3. Præterea. Consuetudo ad genus moris pertinet. Sed frequenter matrimonio juncti sunt valde moribus diversi. Ergo non debet poni in diffinitione matrimonii: *Individuam vitam consuetudinem retinens.*

4. Præterea. Inveniuntur aliæ diffinitiones de matrimonio datæ. Quia secundum Hugonem (Lib. II. de sacram. part. XI. cap. IV. matrimonium est *duarum idonearum personarum legitimus de conjunctione consensus.* Secundum quosdam autem matrimonium est *consortium (1) communis vitæ, & communicatio divini, & humani juris.* Et quæritur qualiter hæc diffinitiones differant.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod conjunctio adunationem quandam importat: unde ubicumque est adunatio aliquorum, ibi est

(1) Nicolai communicationis.

aliqua conjunctio. Ea autem quæ ordinantur ad aliquod unum, dicuntur in ordine ad aliud adunari, sicut multi homines adunantur ad unam militiam, vel negotiationem exequendam, ex qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis: & ideo cum per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem, & educationem proles, & iterum ad unam vitam domesticam, constat quod in matrimonio est aliqua conjunctio, secundum quam dicitur maritus, & uxor; & talis conjunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquod unum, est matrimonium; conjunctio autem corporum, vel animorum ad matrimonium consequitur.)

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium est vinculum quo ligantur formaliter, non effective: & ideo non oportet quod sit aliud à conjunctione.

Ad secundum dicendum, quod quamvis ipsa relatio non sit sensibilis accidens, tamen causæ ejus possunt esse sensibiles: nec in sacramento requiritur quod sit sensibilis id quod est res, & sacramentum (hoc enim modo se habet in hoc sacramento prædicta conjunctio) sed verba exprimentia consensus, quæ sunt sacramentum tantum, & causa prædictæ conjunctionis, sunt sensibilia.

Ad tertium dicendum, quod relatio fundatur in aliquo sicut in causa, ut similitudo in qualitate: & in aliquo sicut in subjecto, ut in ipsis similibus: & ex utraque parte potest attendi unitas, & diversitas ipsius. Quia ergo in similitudine non est eadem qualitas numero, sed specie in utroque simili, & iterum subjecta similitudinis sunt duo numero, & similiter est de æqualitate; ideo & æqualitas, & similitudo omnibus modis est alia numero in utroque similibus, & æqualium. Sed relatio quæ est matrimonium, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causæ, quia ad eandem numero generationem ordinatur; sed ex parte subjecti habet diversitatem secundum numerum: & ideo hæc relatio est una, & multiplex; & secundum quod est multiplex ex parte subjecti, significatur his nominibus *uxor*, & *maritus*; secundum autem quod est una, significatur hoc nomine *matrimonium*.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod in matrimonio est tria considerare. Primo essentiam ipsius, quæ est conjunctio; & secundum hoc nominatur conjugium. Secundo causam ejus, quæ est desponsatio; & secundum hoc vocantur nuptiæ à *nubere*, quia in ipsa solemnitate desponsationis qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur. Tertio effectum, qui est proles; & sic dicitur matrimonium, ut Augustinus dicit contra Faustum (Lib. XIX. cap. xxvi.) ob hoc quod mulier non debet ad aliud nubere, nisi ut sit mater. Potest etiam dici matrimonium, quasi matris munium, id est officium; quia feminis maxime incumbit officium educandæ proles. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem muniens: quia jam habet quo defendatur, & muniatur, scilicet virum. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem monens, ne virum relinquat, alteri adherens. Vel dicitur matrimonium, quasi materia unius, quia in eo fit conjunctio ad unam prolem materialiter inducendam, ut dicatur matrimonium à monos, & materia. Vel dicitur matrimonium, ut

Isi-

Isidorus (Lib. IX. etym. cap. vii.) dicit à matre, & nato: quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis pater sit dignior quam mater, tamen circa prolem magis officiosa est mater quam pater. Vel ideo quia mulier ad hoc principaliter facta est, ut sit homini in adiutorium proles; non autem vir propter hoc factus est: unde magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater.

Ad secundum dicendum, quod aliquando essentialia cognoscuntur per accidentalia; & ideo etiam per accidentalia aliqua nominari possunt, cum nomen detur causa rei innotescendæ.

Ad tertium dicendum, quod aliquando species nominatur ab eo quod est generis propter imperfectionem speciei, quando scilicet habet complete generis rationem, nec tamen aliquid addit quod ad dignitatem pertineat, sicut proprium accidentale retinet nomen proprii communis. Aliquando autem propter perfectionem, quando in una specie complete invenitur ratio generis, & non in alia; sicut animal denominatur ab anima, quæ comperit animato corpori, quod est genus animalis; sed animatio non invenitur perfecte in animalis quæ non sunt animalia; & similiter est in proposito: quia conjunctio viri ad mulierem per matrimonium est maxima, cum sit & animorum, & corporum: & ideo conjugium nominatur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod sicut supra dictum est, in matrimonio tria possunt considerari, scilicet causa ipsius, & essentia ejus, & effectus; & secundum hoc tres diffinitiones inveniuntur de matrimonio datæ. Nam diffinitio Hugonis tangit causam, scilicet consensus; & per se non est. Diffinitio autem in littera posita tangit essentiam matrimonii, scilicet conjunctionem, & addit determinatum subjectum in hoc quod dicit, *Inter legitimas personas.* Ponit etiam differentiam contrahentem ad speciem in hoc quod dicit, *Mari talis*: quia cum matrimonium sit conjunctio in ordine ad aliquod unum, talis conjunctio in speciem trahitur per illud ad quod ordinatur; & hoc est quod ad maritum pertinet. Ponit etiam virtutem hujus conjunctionis, quia indissolubilis est in hoc quod dicit: *Individuam vitam consuetudinem retinens.* Sed alia diffinitio tangit effectum ad quem ordinatur matrimonium, (1) scilicet vitam communem in rebus domesticis. Et quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideo ponitur ordinativum istius communionis, scilicet jus divinum, & humanum; alia enim communicationes, ut negotiatorum, & commilitantium, solo jure humano instituta sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod priora aliquando, ex quibus debet dari diffinitio, non sunt nominata: & ideo in diffinitione aliorum ponuntur aliqua posteriora simpliciter, quæ sunt priora quoad nos, sicut in diffinitione qualitatis ponitur quale à Philosopho cum dicit (Lib. prædicamentorum cap. de quantitate) *Qualitas est secundum quam quales dicuntur*; & ita etiam hic in diffinitione matrimonii ponitur conjunctio maritalis, ut sit sensus, quod matrimonium est conjunctio ad ea quæ mariti officium requirit, quæ non poterant uno nominari nomine.

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. scilicet vita communis.

Ad secundum dicendum, quod per hanc differentiam tangitur finis conjunctionis, ut dictum est: & quia, ut dicit Apostolus (I. Corinth. vii.) vir non est propter mulierem, sed mulier propter virum; ideo hæc differentia potius debet sumi à viro quam à muliere.

Ad tertium dicendum, quod sicut vita civilis non importat actum singularem hujus vel illius, sed ea quæ ad communicationem civilem pertinent; ita vita conjugalis nihil est aliud quam conversatio ad communicationem talem pertinentem; & ideo quantum ad hanc vitam semper consuetudo est individua, quamvis sit diversa quantum ad actus singulares utriusque.

Ad quartum patet solutio ex dictis.

ARTICULUS II.

Utrum consensus sit causa efficiens matrimonii.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod consensus non sit causa efficiens matrimonii. Sacramenta enim non sunt à voluntate humana, sed ab institutione divina. Sed consensus ad voluntatem pertinet. Ergo non est causa matrimonii, sicut nec aliorum sacramentorum.

2. Præterea. Idem non est causa sui ipsius. Sed matrimonium nihil aliud videtur esse quam consensus: quia consensus ipse significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Ergo consensus non est causa matrimonii.

3. Præterea. Unius debet esse una causa. Sed matrimonium inter duos est unum, ut dictum est: consensus autem duorum sunt diversi, quia diversorum sunt etiam in diversa: ab una enim parte est consensus in virum, ex alia in uxorem. Ergo mutus consensus non est causa matrimonii.

Sed contra est quod Chrysostomus dicit (Auctor oper. imperf. & refertur in Decr. dist. xxvi. quæst. 11. cap. *Matrimonium*): *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

Præterea. Unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per ejus consentum. Sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius, ut patet I. Corinth. vii. cum prius uterque sui corporis liberam potestatem haberet. Ergo consensus facit matrimonium.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod non oporteat consensus per verba exprimi. Quia sicut per matrimonium redigitur homo in potestatem alterius, ita per votum. Sed votum obligat quoad Deum, etiam si non exprimitur verbis. Ergo & consensus facit matrimonii obligationem etiam sine expressione verborum.

2. Præterea. Matrimonium potest esse inter aliquos qui suum consentum sibi mutuo verbis exprimere non possunt: quia vel sunt muti, vel diversarum linguarum. Ergo expressio consensus per verba non requiritur ad matrimonium.

3. Præterea. Si omittatur illud quod est de necessitate sacramenti quacumque ex causa, non est sacramentum. Sed in aliquo casu est matrimonium sine expressione verborum, sicut quando puella tacet præ verecundia parentibus eam viro tradentibus. Ergo expressio verborum non est de necessitate matrimonii.

Sed contra. Matrimonium est sacramentum quod

Hæc diffinitio non potest esse nisi sit hoc. Ita

dam. Sed in omni sacramento requiritur aliquod sensibile signum. Ergo & in matrimonio; & ita oportet ibi saltem esse verba exprimentia consensum sensibilibiter.

Præterea. In matrimonio fit contractus inter virum & mulierem. Sed in quolibet contractu oportet esse expressionem verborum, quibus se mutuo homines obligent. Ergo in matrimonio oportet esse consensum per verba expressum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod consensus expressus per verba de futuro, matrimonium faciat. Quia sicut se habet præsens ad præsens, ita futurum ad futurum. Sed consensus per verba de præsentibus expressus facit matrimonium in præsentibus. Ergo consensus expressus per verba de futuro facit matrimonium in futuro.

2. Præterea. Sicut in matrimonio fit quædam obligatio per verba exprimentia consensum, ita & in aliis civilibus contractibus. Sed in aliis contractibus non differt utrum per verba de præsentibus, vel de futuro obligatio fiat. Ergo nec in matrimonio differt.

3. Præterea. Per votum religionis homo contrahit matrimonium spirituale cum Deo. Sed votum religionis fit per verba de futuro, & obligat. Ergo similiter potest fieri matrimonium per verba de futuro.

Sed contra est, quia ille qui consentit in aliquam per verba de futuro, & postea cum alia per verba de præsentibus, debet secundum iura habere secundam pro uxore. Sed hoc non esset, si consensus per verba de futuro faceret matrimonium: quia ex quo verum est matrimonium cum una, ea vivente non potest contrahi cum alia. Ergo consensus per verba de futuro non facit matrimonium.

Præterea. Qui promittit se aliquid tractaturum, nondum facit illud. Sed qui consentit per verba de futuro, promittit se cum aliqua tractaturum matrimonium. Ergo non contrahit adhuc cum illa.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod consensus expressio per verba, etiam si desit interior consensus, facit matrimonium. Quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, secundum iura. Sed ille qui verbis consensum exprimit quem corde non habet, dolum committit. Ergo non debet sibi patrocinari, ut ab obligatione matrimonii liber reddatur.

2. Præterea. Assensus mentalis alterius non potest esse alicui notus, nisi quatenus per verba exprimitur. Si ergo expressio verborum non sufficit, sed consensus interior requiritur in utroque conjugum, tunc neuter poterit scire de altero, an sit ei verus conjugus; & ita erit fornicator quodcumque matrimonio utetur.

3. Præterea. Si aliquis probatur per verba de præsentibus in aliquam consensisse, cogitur per excommunicationis sententiam ut eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem defuisse; etiamsi postea cum alia contraxerit consensu mentali verbis expresso. Sed hoc non esset, si requireretur consensus mentalis ad matrimonium. Ergo non requiritur.

Sed contra est quod Innocentius III. dicit in Decreto. (extra de sponsal. & matrim. cap. *Tua nos in fine*) in isto casu loquens: *Sine consensu nequeunt cetera fœdus perficere conjugale.*

Præterea. Intentio requiritur in omnibus sacramentis. Sed ille qui corde non consentit, non habet in-

tionem matrimonium contrahendi. Ergo non fit matrimonium.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod in omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio mediante materiali operatione quæ eam significat; sicut per ablutionem corporalem in baptismo fit ablutio interior spiritualis: unde cum in matrimonio sit quædam spiritualis conjunctio, in quantum matrimonium est sacramentum; & aliqua materialis, secundum quod est in officium naturæ, & civilis vitæ; oportet quod mediante materiali fiat spiritualis virtute divina: unde cum conjunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis conjunctio.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentorum prima causa est divina virtus quæ in eis operatur salutem; sed causæ secundæ instrumentales sunt materiales operationes ex divina institutione efficaciam habentes; & sic consensus in matrimonio est causa.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non est ipse consensus, sed quædam unio ordinatum ad invicem, ut dictum est, quam consensus facit: nec consensus, proprie loquendo, conjunctionem Christi ad Ecclesiam significat, sed voluntatem ejus qua factum est ut Ecclesiæ conjungeretur.

Ad tertium dicendum, quod sicut matrimonium est unum ex parte ejus in quod fit conjunctio, quamvis sit multiplex ex parte conjungentium; ita etiam consensus est unus ex parte ejus in quod consentitur, scilicet prædictæ conjunctionis, quamvis sit multiplex ex parte consentientium: nec est directe consensus in virum, sed in conjunctionem ad virum ex parte uxoris, & similiter ex parte viri consensus in conjunctionem ad uxorem.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem, dicendum, quod, sicut ex dictis patet, conjunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non possunt fieri nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant qui contrahunt, ideo etiam oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimat, ut expressio verborum se habeat ad matrimonium sicut ablutio exterior ad baptismum.

Ad primum ergo dicendum, quod in voto non est aliqua sacramentalis obligatio, sed spiritualis tantum: & ideo non oportet quod fiat ad modum materialium contractuum ad hoc quod obliget, sicut est de matrimonio.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non possint vota sua mutuo verbis tales exprimere, possunt tamen exprimere nutibus; & tales nutus pro verbis computantur.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicit Hugo de Sancto Vict. (ubi supra) eos qui junguntur, sic oportet consentire ut invicem se spontanee recipiant; quod judicatur fieri, si in desponsatione non contradicant: unde verba parentum computantur in casu illo ac si essent puellæ: sunt enim sufficiens signum quod sunt ejus ex quo non contradicunt.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod causæ

sacramentales significando efficiunt, unde efficiunt quod significant: & quia cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum; ideo talis expressio consensus non facit matrimonium, sed dispositionem ejus, quæ sponsalia nominantur.

Ad primum ergo dicendum, quod consensus exprimitur per verba de præsentibus, & verba sunt præsentia, & in præsentibus consentitur pro eodem tempore. Sed quando consensus fit per verba de futuro, verba sunt præsentia, sed consentitur in futurum; & ideo non pro eodem tempore: & propter hoc non est simile.

Ad secundum dicendum, quod etiam in aliis contractibus qui verbis futuris utitur, non transfert potestatem rei suæ in alterum, ut si dicat: Dabo tibi; sed solum quando verbis præsentibus utitur.

Ad tertium dicendum, quod in voto professionis actus spiritualis matrimonii per verba de futuro exprimitur, scilicet obedientia, vel observantia regulæ, & non ipsum matrimonium spirituale. Si autem matrimonium spirituale in futuro voventur, non est votum spirituale: quia nondum ex hoc aliquis est monachus; sed se futurum monachum pollicetur.

SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod sicut se habet ablutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum, ut dictum est. Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet non intendens accipere sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit.

Ad primum ergo dicendum, quod ibi sunt duo, scilicet defectus consensus, qui sibi patrocinatur in foro conscientie, ut non astringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Ecclesiæ, in quo judicatur secundum allegata; & dolum verborum, & hic non patrocinatur nec in foro poenitentiae, nec in foro Ecclesiæ, quia in utroque pro hoc punitur.

Ad secundum dicendum, quod si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua conjunctione, ut dictum est. Tamen probabiliter potest credi dolum non esse, nisi signa evidentiæ doli appareant: quia de quolibet est præsumendum bonum, nisi probetur contrarium: unde ille ex cuius parte dolum non est, à peccato excusatur per ignorantiam.

Ad tertium dicendum, quod in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore, quia judicat secundum ea quæ foris apparent; nec decipitur in iustitia, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere quam ad primam uxorem accedere; vel debet in alias regiones remotas fugere.

ARTICULUS III.

Utrum alter conjugum, etiam post carnalem copulam, possit altero invito ad religionem transire.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod alter conjugum, etiam post carnalem copulam, possit altero invito ad religionem transire. Quia lex divina magis debet spiritualibus favere quam humana. Sed lex humana hoc permisit. Ergo multo fortius lex divina permittere debuit.

2. Præterea. Minus bonum non impedit majus bonum. Sed matrimonii status est minus bonum, quam status religionis, ut patet I. Corinth. vii. Ergo per matrimonium non debet homo impediri quin possit ad religionem transire.

3. Præterea. In qualibet religione fit quoddam spirituale matrimonium. Sed licet de leviori religione ad arctiorem transire. Ergo & licet de matrimonio leviori, scilicet carnali, ad arctius, scilicet matrimonium religionis, transire, etiam invita uxore.

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. vii. ut nec etiam ad tempus vacent orationi conjuges sine mutuo consensu à matrimonio abstinentes.

Præterea. Nullus potest facere licite quod est in præjudicium alterius sine ejus voluntate. Sed votum religionis emissum ab uno conjugum est in præjudicium alterius: quia unus habet potestatem corporis alterius. Ergo unus sine consensu alterius non potest votum religionis emittere.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod nec etiam ante carnalem copulam. Indivisibilitas enim matrimonii pertinet ad matrimonii sacramentum, in quantum scilicet significat perpetuam conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Sed ante carnalem copulam post consensum per verba de præsentibus expressum, est verum matrimonii sacramentum. Ergo non potest fieri divisio per hoc quod alter ad religionem intrat.

2. Præterea. In ipso consensu per verba de præsentibus expresso unus conjugum in alterum potestatem sui corporis transfert. Ergo statim potest exigere debitum, & alter tenetur reddere; & ita nec potest unus invito altero ad religionem transire.

3. Præterea. Math. xxi. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed conjunctio quæ est ante carnalem copulam, divinitus facta est. Ergo non potest separari humana voluntate.

Sed contra est quod secundum Hieronymum (alium Auctorem nec in prologo super Joannem) Dominus Joannem vocavit de nuptiis.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod mulier non possit nubere alteri, viro ante carnalem copulam religionem ingressa. Quia illud quod cum matrimonio stare potest, non solvit matrimoniale vinculum. Sed adhuc manet matrimoniale vinculum inter eos qui pari voto religionem intrant. Ergo ex hoc quod unus intrat religionem, alter non absolvitur à vinculo matrimoniali. Sed quamdiu manet vinculum matrimoniale ad unum, non potest nubere alteri. Ergo &c.

2. Præterea. Vir post ingressum religionis potest ante professionem redire ad sæculum. Si ergo mulier posset alteri nubere, viro intrante religionem, & ipse posset aliam ducere rediens ad sæculum: quod est absurdum.

3. Præterea. Per Decretalem novam (Lib. VI. tit. *De Regularibus*, cap. *Non solum*) professio ante annum emissam pro nulla reputatur. Ergo si post talem professionem ad uxorem redeat, tenetur eum recipere: ergo neque per introitum viri in religionem, neque per votum datur mulieri potestas nubendi alteri: alias una mulier haberet duos viros.

Sed contra. Nullus potest alterum obligare ad ea quæ sunt perfectionis. Sed continentia est de his quæ ad perfectionem pertinent. Ergo mulier non arctatur ad con-